

## **Virtutis Solidæ Præcipua Impedimenta, Subsidia, Et Incitamenta**

Commentationibus Illustrata, Omnium Usui Aptatis. Quæ Servire Insuper  
Poterunt Pro Argumento Concionum: Uti Et Considerationum Tempore  
Exercitiorum; præsertim verò pro gemino sacræ collectionis triduo; prout  
ex subjectis hunc in finem elenchis patet. [...] Partes Tres

Subsidia

**Bellecius, Aloysius**

**Ratisbonae [u.a.], 1755**

Cap. II. De orationis fervore.

---

---

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55547](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-55547)

## CAPUT II. DE ORATIONIS FERVORE.

**N**on est efficacius remedium vitia eradicandi, non excellentius subsidium virtutes acquirendi, non validius præsidium tartareos hostes viacendi, quam oratio, quæ mente peragitur; nam de hac nobis sermo est. Unde S. Nilus ad Anastasium rectè scribit, dœmonem suas machinationes ferè omnes ac tentationes eò dirigere, ut vel impedit, vel retardet, vel omnino à nobis auferat sedulum meditandi studium; probè gnarus, se id efficiendo angularem totius ædificii spiritalis lapidem luxasse. Id ergo ne & in nobis perficiat, ostendam I. neglectæ orationis detrimenta; II. cultæ orationis emolumenta, ut illis à tepida precatione absterreamur; his vero ad servidam animemur.

§. I.

## §. I.

*Neglectæ orationis detrimenta.*

*I.*  
*Nullus in I. virtute progressus.* **P**rimum inde emergens detrimentum est nullus in virtute progressus. Quantus quisque est in oratione, tantus est in perfectione; ubi modicus orandi fervor, ibi exiguis pariter, immo nullus in sanctitate profectus. Non mea haec, sed S. S. Patrum sententia est, cui constans experientia frequenti calculo suffragatur.

Unde S. Climachus ex matutina commentatione totius diei successum metiri solebat: & jure; qualis enim meditatio, talis dies, immo talis totius vitae ratio. Nam sicut ferventis preicationis effectus est suavis quædam ad bonum agilitas, & collectæ mentis quies, quæ omnes sequentis diei actiones animat, & perficit, animamque ad sanctimoniam leni flamine provehit; ita tepidæ contemplationis tristes filiae sunt rerum divinarum nausea, torpidus ad bonum languor, animi in

in externa effusio, cæcitas, inquies,  
siccitas.

Unde fit, ut pia proposita evanescent, pravæ affectiones repullulent, tentationes invalescant; voluptatis, iræ, ambitionis, invidiæ appetitus reviviscant; ita ut teporis gurgite retro abrepti, unico die à probitate amplius deficiamus, quam priùs in ea aliquot mensium spatio profecimus. Ut proin meritò S. Chrysostomus dicat: *si videam Christianum, Religiosumve hominem in meditando remissum, nec id pensi quicquam habere, de illius animo sic conjicio, virtute esse pertenui, perpaucisque Dei donis ornatum: sín illum sancti hujus exercitii studiosum advertero, statim illum divinis charismatibus refertum esse intelligo.* (a)

Itaque frustra quis aliis mediis, praxibus & industriis progredi tentat. Qui non primo inter eas loco hanc animæ exercitationem reponit, cribro aquam hauriet; ut fida & vetus experien-

---

(a) Lib. I. de orando Deum.

rientia docet. Quapropter si quis animæ suæ statum cognoscere cupiat, & rationem conscientiæ compendiō dare, solummodo discutiat, & declareret, qualis in hac functione sit, & satis se aperuit. Nam studio precandi quoad omnia respondebit sanctioris vitæ progressus. Sicut enim, testante Augustino, rectè novit vivere, qui rectè novit orare; (b) ita nemo bene vivet, qui malè orat.

Horum rationem ipsa orationis natura suppeditat. Nam perfecti ut simus, in eo rei cardo vertitur, ut semper agamus, quæ DEUS, & quomodo vult. Id autem ut intellectus agnoscat, & voluntas faciat, commentando obtinetur. Igitur hoc uti medio qui respuit, proficere renuit. Præterea ut in justitiæ semita quotidie progrediamur, geminis opus est pedibus, fuga mali & cura boni. Jam verò ut hæc aversio à terrenis, & in superna propensio in nobis jugi conatu conservetur, requiritur, ut illa incitamen-

---

(b) Hom. 4, ex 50.

clementia, quæ animum eò impellere consueverunt, vivaci memoria perenniter recolantur. Id autem sine prædicta mentis operatione fieri nequit.

Hæc enim est causticum illud *speculum sine macula*, (c) quod immisso cœlestes radios fidelis sinu excipit, ac in orantem pleno lumine transfundit, ut is sciat, & velit reprobare malum, & eligere bonum. (d) Isto speculo autem submoto, omnia feralibus tenebris nigrescere, & torpido gelu rigere necessum est. Itaque ubi nullus ardor in meditatione, ibi nullus profectus in perfectione.

Ita est, prô dolor! nulla est mea  
aut modica in virtute progressio; quia  
nulla est mea aut tepida solum ora-  
tio. Ah! aruit cor meum! quia oblitus  
sum comedere panem meum. (e) Defecit  
spiritus meus; (f) quia defecit manna.  
(g) Emortuæ flaccescunt omnes vir-  
tutum plantæ; quia rore considera-

Pars II.

D

tionis

---

(c) Sap. 7. v. 26. (d) Isa. 7. v. 16. (e)  
Psal. 101. v. 5. (f) Psal. 142. v. 7. (g) Jos. 5. v. 12.

tionis matutinæ destituuntur. Verbo: omnia repent; quia sacer hic ignis friget. Contrà verò indomitæ cupiditates exarserunt sicut ignis in spinis; (h) quia exsiccatum est hoc irriguum superius. (i) O Domine! actum est de meo in sanctitate progressu, nisi animer precandi spiritu. Fac ergo, ut nullo non die debito cum fervore præveniant oculi mei ad te diluculo, ad meditanda eloquia tua. (1)

## II.

*Nullus  
anima-  
rum fru-  
ctus.*

II. Secundum detrimentum est nullus animarum fructus. Etiam si quis summis naturæ dotibus ac ornamentiis prædictus foret, si orandi fervor defecerit, erit *velut æs sonans & cymbalum tinniens*, (m) cui adscribi poterit illud lemma: *nil nisi vox*; cujus cum sono omnia vanescunt. Qui quidem pulchrum est organum; sed, quia sine spiritu, etiam sine fructu.

Ut instrumentum rite operetur, manui artificis sit coniunctum oportet;

(h) Psal. 117. v. 12.

(1) Psal. 118. v. 148.

(i) Josue 15. v. 19.

(m) 1. Cor. 13. v. 1.

ret; sic quamvis calamus sit optimè temperatus, nisi aptetur dexteræ scriptoris, nihil literarum effingeret. Nos *DEI adjutores sumus*, (n) & instrumenta ab ipso electa ad curandam proximi salutem. Nexus, quocum manui divinæ copulari nos decet, interprete obedientia commentatio est. Hanc ergo qui negligit, in re tam ardua nil promovebit.

Licet oratoris lingua foret *calamus scribæ velociter scribentis*, (o) nisi meditandi consuetudine conjunctus sit dígito DEI, nullius nomen inscribet libro vitæ. Et quamvis fortè aliquis auditorum subin meliora sapiat, id non ejusmodi concioni, sed alterius precationi adscribendum erit.

Nullum reperiemus (percurrantur Sanctorum vitæ) in revocandis peccatoribus celebrem existisse, qui non simul fuerit etiam vir multæ orationis. Et hinc modò tot inter operarios in vinea Domini tam exiguus est anima-

D 2 rum

(n) I. Cor. 3. 9. (o) Psal. 44. v. 2.

rum fructus ; quia modicus est inter eos hujus exercitii usus. Olim unus suffecit perducendis ad frugem pluribus oppidis & urbibus ; nunc plures nec reducendo uni pago sufficient. In promptu causa est : multum declamat, sed parum & tepidè orant ; hinc mores non emendant. Hos autem non corrigunt ; quia necessariæ ad id gratiæ eorum culpa deficiunt.

Nam, ô vir Apostolice ! sine specialibus auxiliis nunquam alios ab exitio vindicabis ; & etiamsi Apollo rigaret, aut ipse Paulus plantaret ; nisi DEUS det incrementum , (p) stulto labore consumeris ; ultra vires tuas negotium est. (q) Jam verò sacra hæc mentis exercitatio est illa conditio, sine qua (ut cum aliis docet scholarum phœbus Aquinas ) dari illa non solent. Ipse Christus à Divino Patre salutem Gentium non aliter quàm fusis precibus promeruit secundùm illud regii Vatis :

(p) 1. Cor. 4. v. 6. (q) Exod. 18. v. 18.

(r) 2. 2. Q. 83. a. 2. C. &amp; ad 2. ubi ait. : necessarium est orare, ut obtineatur nostris precibus, quod DEUS disposuit &amp;c.

Vatis: postula à me, & dabo tibi gentes. (s) En! ut Pater annueret, vel ipsi Filio supplicandum fuit; quanto magis servo.

Proin aliis prodesse qui cupid in terris, frequens animo versetur in cœlis. Unde meritò concludunt Ascetae, strenuo animarum curatori plus meditandum esse, quam studendum: utque is bene loquatur hominibus de D E O , prius ipsi assiduè loquendum esse cum D E O . Nisi enim mens ejus fuerit altare, in quo thymia ma contemplationis diligenter adoleatur, nunquam dabit Dominus vocē ejus vocem virtutis, qua confringat cedros Libani. (t)

Certè si Stephanus non orasset, Ecclesia Paulum non haberet. Si Christus non rogasset, Petri fides defecisset. (u) Si etiam nos ferventiūs & crebriūs cum Superis ageremus,

D 3

fors

---

(s) Psal. 2. v. 8. (t) Psal. 67. v. 34. &c  
Psal. 28. v. 5. (u) Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, Luc. 22. v. 32.

§4 Pars II. Cap. II. §. I. Num. II.

fors etiam inter nos pauciores Saulos  
& plures Petros numeraremus. O  
quām flebile tutoribus Angelis specta-  
culum foret, si tuo, qui hæc legis,  
tempore in meditando, perderes illum,  
*pro quo Christus mortuus est;* (x) id est,  
si supremus rerum Moderator in pœ-  
nam tuæ negligentia subtraheret illas  
excitantes gratias, quibus aliàs tuorum  
auditorum, pœnitentūm, discipulo-  
rum, clientum, subditorum unus aut  
alter correctus fuisset.

O miser! quid respondebis, cùm  
olim vindex Numen de his ipsis ani-  
mabus à te rationem; illæ verò ab  
eius Justitia de te vindictam petent?  
Vah! execrandam socrdiam, quæ  
non solum propriæ perfectioni, sed  
etiam alienæ saluti tristem adeò reno-  
ram ponit. O Custos Angele! cura,  
quæso, ut deinceps *ignis* meditationis  
*in altari cordis mei semper ardeat,*  
*eumque diligenter nutriam, subjiciendo*  
*ligna manè per singulos dies.* (y)

III. Ter-

---

(x) Rom, 14. v. 15. (y) Levit, 6. v. 12.

III. Tertium detrimentum est periculum valde propinquum excidendi gratia & vocatione religiosa. Qui precationis incuriosus vivit, eundem proximè abesse à lapsu in gravia & ja-  
Etura vestis sacræ, ejus generis veritas est, cui omnis lingua suffragatur cœle-  
stium, terrestrium & infernum. (z) Beati è cœlo, damnati ex orco, moribundi è lecto mortuali ita se rem habere unanimi voce proclamant.

Idem verissimum esse probat summa auctoritas, experientia, ratio. Nam (ut docet Zosimus Papa in sua dogmatica ad omnes orbis Episcopos epistola) *nemo, etiam baptismatis gratia renovatus, idoneus est ad superandas diaboliz insidias, & ad evincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adjutorium DEI perseverantiam bonæ conversationis acceperit.* (aa) Idem definit Synodus Tridentina in hunc sensum: *si quis dixerit, . . . . justificatum sine speciali auxilio DEI in accepta justitia*

D 4 perse-

---

(z) Philip. 2. v. 10. (aa) Ex capitulo 3.  
Epistolæ Cœlestini I. ad Galliæ Episcopos subiecto.

56 Pars II. Cap. II. §. I. Num. III.

*perseverare posse, anathema sit. (bb)*  
Ergo sine speciali auxilio DEI neminem justum in gratia perseveraturum, tentationes & dœmonis insidias superaturum, dogma fidei est.

Jam verò oratio est ille aquæ-ductus, per quem cœlestes hæ gemmæ ad nos defluunt: oratio est illa conditio, sine qua eæ ordinaria lege non conferuntur: oratio est illud medium à Divina Providentia selectum, nobisque præfinitum, sine quo auxilia hunc in finem necessaria non obtinentur.

Id cum primis asseverat Christus (cc) his verbis: *orate, ut non intretis in temptationem;* ac si diceret (ut exponunt Patres) si temptationi succumbere nolueritis, orate. Id affirmat Augustinus, dicens: *quisquis negat, nos orare oportere, ne intremus in temptationem, ab auribus omnium removendum, & ore omnium anathematizandum non dubito.*

(dd)

---

(bb) Trid. sess. 6. can. 22. (cc) Matth. 26.  
v. 41.

( dd ) Id docet Innocentius I. afferens :  
*nisi magnis precibus gratia in nos implorata descendat, ne quicquam vincere conamur : . . . . necesse est, ut vincamur.* ( ee )

Itaque justorum nemo noxa lethali immunis in amicitia cum DEO constans perseverabit, nisi cœlesti præsidio muniatur ; hoc autem concedi non solet nisi oranti, & quidem methodo cuivis pœcripta oranti. Adeoque ubi deficit oratio, ibi quoque perseverantia in statu gratiæ, & quod inde tacito nexu consequitur, etiam constantia in religiosa vocatione pedissequa ruina deficiat, necesse est.

Et licet laudatis Auctòribus spaciati sermo non sit de meditatione, seu tacita & mente concepta precatione, tamen hactenus dicta nominatim etiam de hac, saltem à Religiosis, præcipue Societatis, intelligenda esse, tristissimi nec infrequentes eventus à pluribus

D 5                    fæcu-

---

( dd ) Lib. de perfectione justitiae in fine.  
 ( ee ) In sua ad Conc. Carthaginense Epistola.

sæculis abunde probant; cùm ejus neglectæ rei in foedissima prolapsi sceleræ, subin à sacro suo Ordine, nec raro ab ipsa etiam fide turpi transfugio desciverint.

Nec adeò mirandum id est. Meditatio enim conservat illa lumina, quæ intellectui gravitatem peccati, iudicii rigorem, inferorum atrocitatem vivis coloribus depingunt: & nutrit illos motus pios, quibus voluntas amplectitur bonum, & horret malum. Extincto hoc igne dominantur tenebræ in intellectu, & frigus in voluntate, necesse est.

Cùm ergo S. Thomæ Aquinati, (ff) Religiosus hac panoplia destitutus, sit miles inermis & superatu facilis, quid mirum? si talis, ingravescente tentationum nocte, lubrico pede in lapidem scandali impingat, & in lapsum aliás pronus tandem toto pondere ruat. Quid mirum! si desipiente regulari Ordine, & arridente mundi liberta-

bertate, demum superveniens ab Aquilone turbo sacra insuper veste transfigam exuat?

Ut proin verissimum dicat Lancicius, dum scribit: quotquot in religione labuntur in aliquod lethale peccatum, vel statum religiosum deserunt, aut aliquod scandalum edunt, certissimum argumentum esse, eos meditationem vel omisisse, vel decurtasse, vel negligentissime, solummodo ut oculis fucum facerent, eandem expedivisse. Imò ut integer Ordo à veteri legum severitate desciscat, & labante disciplina in exitium procumbat, Auctore S. Bonaventura solus dictæ orationis neglectus certò efficiet.

Igitur faciant nos aliorum ruinæ cautos. Sacræ familiæ alumni licet simus, adhuc graviter labi, ac vocatione nostra excidere possumus. Primum qui horret, oret: alterum qui timet, oret; & quidem nulla non die ac ferventer oret, seu meditetur. Secundus, à neutro malo securus erit. Nisi enim

enim ascenderit nostra oratio , non descendet D<sup>E</sup>I miseratio.

O si dehiscente terra , orci fauces apertas cerneremus , & damnatos ibi Religiosos interitus sui fontem percontaremur , unanimi gemitu responsuri essent : ah ! neglecta meditatio in hanc abyssum præcipites nos dedit. Hæc audis somniculoſe ! nec evigilas ad orandum ? Cernis hanc recordiam tuam recto tramite ad tartara ducere, nec pedem retrahis ? experiris ipsus, eam gravissimarum tentationum fœcundam scaturiginem esse, nec tamen obstruis ? Satan nihil non agit, ut meditationem tuam vel impedit, vel turbet, vel truncet ; solùm tu stertis, te que à dœmone instar viliſ jumenti, injecto socordiæ capistro, ad ejus libitum versari finis ?

O futurorum improvide ! noli, quæſo, ( per vulnera Christi te obtestor ) noli gratiam divino sanguine partam, noli vocationem æternæ electionis arrham tam temerè prodigere , conculcare ,

care, contemnere; idque propter plu-  
mas & carnis blandimenta, propter  
inertem desidiam & pueriles nanias;  
quid enim aliud sunt illæ occupatio-  
nes, ob quas orationem omittis, si  
salutis negotio comparentur?

Time, ne si hæc monita surda aure  
prætereras, etiam DEUS olim suas tibi  
aures obturet, tibiique dicat: *vocavi*  
*te per orandi consuetudinem ad inti-*  
*mam mecum familiaritatem, & re-*  
*nuisti: extendi manum meam, auxilium*  
*offerendo: modum, libros, locum,*  
*tempus suppeditando; & non fuit, qui*  
*aspiceret: increpationes meas, tuam ti-*  
*bi ignaviam exprobrantes, neglexisti.*  
Jam verò, vertente scena, ego quoque  
*in interitu tuo, quem tibi hujus reme-*  
*dii neglectione accersivisti, ridebo; quin*  
*& subsannabo; cum tibi id, quod time-*  
*bas, acciderit; cum in gravia prolapsus,*  
*ipsa etiam vocatione tua excideris; cum*  
*in te ex S. Ordine profugum erruerit*  
*repentina calamitas, & interitus quasi*  
*tempestas ingruerit, ridebo, & subsanna-*  
*bo; eò quod exosam habueris disciplinam*

(gg)

(gg) religiosam, meditationem quotidianam tam solicite imperantem.

O DEUS, cuius iræ nemo potest resistere! (hh) terrores tui conturbaverunt me. (ii) Heu! in quæ præcipitia precandi tempor me adduxit! . . . Sed adoro reducentem manum. Deinceps in matutinis meditabor in te. (ll) Fixum est: in tuis justificationibus meditabor, (mm) & quidem ferventer ac quotidie meditabor. Tu fac, ut in meditatione mea exardescat ignis, (nn) & nullo non die dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. (oo)

## §. II.

### Cultæ orationis emolumenta.

I. **Fugat mala præser-**  
tim intel-  
**lectus, &**  
**volunta-**  
**tis.** **Q**uàm noxia sunt neglectæ orationis detrimenta, tam proficua sunt cultæ orationis emolumenta. In primis enim fervens oratio fugat mala.

---

(gg) Proverb. 1. v. 24. & seq. (hh) Job. 9. v. 13. (ii) Psal. 87. v. 17. (ll) Psal. 62. v. 7. (mm) Psal. 118. v. 16. (nn) Psal. 38. v. 4. (oo) Psal. 140. v. 2.

mala. Crassa cœlestium ignorantia, falsa conscientiæ principia, erronea de virtute sensa, ineptæ aut turpes phantasæ sunt grande malum intellectûs. Invidiæ pallor, luxuriæ febris, arrogantiæ tumor, iracundiæ phrenesis, tentationes, tristitiae, languores, aliæque animum pungentes curæ sunt tristè malum voluntatis. Et en! oratio, quæ mente peragitur, illud pellit, hoc reprimit; dum intellectum à menda- cibus ideis purgat, æternis veritatibus imbuit, pulsisque errorum tenebris, eundem divinis notionibus implet. Voluntatem verò à molestis angoribus liberat, contra stygios assultus munit, & rebelles appetitus *in virga ferrea regere* (a) docet.

Nam ex mente S. S. P. P. precatio est *turris David*, ex qua pendent mille clypei, (b) queis tegimur contra omni- genos hostes: est *civitas refugii*, (c) qua tutamur contra subdolas orci in- fidias: est antidotum cœleste, quo muni-

(a) Psal. 2. v. 9.

(b) Cantic. 4. v. 4.

(c) Josue 21. v. 36.

munimur contra pestifera amoris proprii toxica: est pharos, quæ fido siderere latentes undique syrtes detegit: est denique cynosura, quæ securo tramite ad portum ducit. verbô: integrum malorum iliadem hæc sola fugat, retunditque.

Præterea (ut ex primo hujus capitî paragrapho abunde liquet) nullus in virtute profectus, exiguus animarum fructus, periculum propinquum excidendi gratia & vocatione religiosa, ejus generis mala sunt, quæ solo sui metu cœli studiosum summo terrore percellunt. Hunc autem trifaucem Cerberum sanctior Hercules meditatio domat, & è medio beata promulside tollit. Hujus enim ope exorantur illa auxilia, sine quibus nec propria virtus, nec aliena salus obtinebitur: nec lapsus in gravia, nec jactura religionis vitabitur.

Denique quam magnum sit malum mentis tepor, quam horrendum ac ingens monstrum, affatim constat ex

Partis

Partis primæ Capite 2do. Is enim est illa *tinea*, quæ ipsum non raro vitæ æternæ filum in ipsa etiam veste religiosa corrodit: (d) is est illa *vulpes*, quæ demolitur vineam animæ, (e) & ipsa pietatis fundamenta subruit: is est illud dœmonium, quod hominem sæpe in ignem lasciviæ, crebro in aquam desperationis præcipitem agit, & non nisi difficillimè curatur. (f) Nihilominus licet orcina hæc pestis verè nobis efficiatur in Satan; (g) ex eo tamen dœmonum genere est, quod, restante Christo, ejicitur per orationem; (h) adeò potens hæc est.

Proin si tristatur aliquis vestrum;  
oret: (i) si tentatur, teper, turbatur;  
oret: si in virtute progrexi, & certam  
facere suam vocationem & electionem cu-  
pit; (l) oret; sed reverenter, ferven-  
ter, constanter oret; & præsens malis  
remedium certò inveniet. Id nobis

Pars II.

E

ipse

- 
- (d) Matth. 6. v. 19. (e) Cant. 2. v. 15.  
 (f) Matth. 17. v. 15. (g) 2. Reg. 19. v. 22.  
 (h) Matth. 17. v. 19. (i) Jacob. 5. v. 13.  
 (l) 2. Petr. 1. v. 19.

ipse Christus per Matthæum scripto promittit his verbis : *petite, & dabitur vobis: querite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis.* Omnis enim, qui petit, accipit : & qui querit, invenit : & pulsanti aperietur. (m) Quid expressius dici, quid amplius promitti, quibus verbis efficacitas orationis melius exprimi potuisset ?

O quam rigida igitur ratio à nobis olim reddenda erit, tam facili remedio à tot malis eximere nos potuisse, idque ex mera socordia desides omisisse ! Quis ægrotus, pauper, captivus preces intermitteret, si illis ægritudinem, inopiam, vincula à se repellere posset ? Quæ hæc ergo nostra est vesania ? quod hac ipsa panacea solùm tunc uti pigremur, cùm agitur de pellendis animæ malis ; & quidem nos pigremur, qui in sanando corpore tam seduli sumus.

Quæ hæc inertia ? in piscinæ Jerosolymitanæ ripa stetisse, (n) penes fon-

tem

(m) Matth. 7, v. 7. & 8.

(n) Ioah. 5, v. 20.

tem sapientiae sedisse, (o) sub arbore  
vitae cubasse, (p) id est, omnia me-  
ditandi subsidia ad manus prompta ha-  
buisse; & nihilominus hoc exercitium  
neglexisse; idque neglexisse ex pura  
puta desidia, nemine prohibente, quin  
imò conscientia & obedientia ad oran-  
dum urgente. O Meditatio! ô efficax  
contra omnes animi morbos pharma-  
cum! quam serò propria tibi decora  
agnovi, quam parum aestimavi, ama-  
vique! Sed deinceps sponsabo te mihi  
in sempiternum; (q) dotis loco intel-  
lectum & voluntatem aeterno tibi jure  
mancipo. Posthac curarum tu pri-  
ma, tu mentis ocellus eris.

II. Oratio non contenta fugasse ma- II.  
la, orantem insuper sublimibus ditat Accuma-  
bonis. In primis intellectum tantis lat grati-  
tamque eximiis illustrationibus illumi- as, lumi-  
nat, ut solis instar pelluceat. Nam nibus &  
animam, constanti fervore commen- deliciis  
tationi se impendentem, Rex celestis do.  
sua quasi manu arreptam introducit in

E 2

cella-

---

(o) Prov. 18. v. 4. (p) 4, Esdr. 8, v. 52.  
(q) Osee 2, v. 12.

*cellaria sua; (r) ubi sunt omnes thesauri  
sapientiae & scientiae absconditi. (s)*

Ibi eam immittit in omnes divitias plenitudinis intellectus, & in agnitionem mysterii DEI Patris & IESU Christi; (t) manifestando ei mira luminis claritate divinarum perfectionum incomprehensam pulchritudinem, Hominis-DEI eminentes prærogativas, sapientissima Providentiae consilia, aliaque Theologiæ mysticæ & asceseos arcana, quibus comparata naturalis scientia etiam vastissima teste Augustino ignorantia est. (u)

Testes nobis sunt Sancti Franciscus, Theresia, Felix, & Nicolaus à rupe; nec non Rodericus, Ximenez, Ægidius aliquique plurimi, qui, licet literarum rudes, tamen sola illa, quam ex contemplatione hauserant, cœlestium notitia omnes theologos ingenti intervallo superarunt. Nempe surgunt indocti, & rapiunt cælum, intima ejus adita medi-

(r) Cant. 1. v. 3.

(s) Coloss. 2. v. 3.

(t) Coloss. 2. v. 2.

(u) Confess. lib. II. cap. 4.

meditandi arte penetrantes; & nos cum doctrinis nostris volutamur si non in carne & sanguine, (x) saltē in tempore, quem distractus nūgis animus precatiōnis hora toto corpore exhalat. Unde fit, ut eo ipso tempore, quo oritur Dominus super alios, nos operiant tenebræ & caligo: (y) ut in schola virtutis stupores simus, qui in aliis magni nobis doctores videmur.

O miser! quid prodest ingenium per omnes doctrinas agile, si in doctrina pietatis erres? (z) Edic: si scires totam bibliam exterius, & omnium Philosophorum dicta, quid totum prodesset, cui cognitione si careas? (aa) Si scires omnia, quæ in mundo sunt, quid te juvaret coram DEO, qui te judicaturus est ex facto? (bb) & solùm interrogaturus, quæ bona feceris, non quām multa sciveris? Profectò melior est humilis rusticus, qui DEO servit, & anus, quæ bene orat, quām superbus philosophus,

E 3 phus,

---

(x) Aug. Confess. l. 8. cap. 8. (y) Isa. 60.  
v. 2. (z) Aug. Confess. l. 4. cap. 16. (aa)  
Lib. de imit. Christi. l. 1. c. 1. (bb) Idem l. 1.  
c. 2.

70 Pars II. Cap. II. §. II. Num. II.

phus, qui se neglecto, cursum cœli considerat; (cc) cum unica, quæ considerando acquiritur, superna cognitio humanam omnem sapientiam immensum antecellat; & animam longè magis satiet, quam omnium artium cy-clopædia.

An non ergo stultitia est, tot dies & hebdomadas, tot menses & annos literis profanis cum detimento valedicinis consecrare; & acquirendæ sanctorum scientiæ, qua sola beati effici-mur, nec horulam rite impendere; quin imò & hanc subin suffurari, ut studiis litetur? Nec dicas, id te agere, ut aptum reddaris instrumentum augendi honoris divini; nam docente Apostolo, DEUS idoneos nos faciet ministros novi testamenti non litera sed spiritu; litera enim occidit, spiritus autem vivificat. (dd) Ergo similia prætexendo splendide mentitur iniquitas sibi. (ee) O fons Solis! (ff) eriatur tandem lux.

---

(cc) Idem l. I. c. 2. (dd) 2. Cor. 3. v. 6.  
(ee) Psal. 26. v. 12. (ff) Jos. 18. v. 17.

*lux tua his tenebris nostris! (gg) . . . .  
Sed hæc de luminibus, quibus medi-  
rans illustratur, strictim delibata suf-  
ficiant.*

Quid verò dicam de consolationi-  
bus, quibus mens precandi avida per-  
funditur? *si linguis Angelorum loquar,* (hh) eis explicandis par non ero. Sunt  
enim manna *absconditum*, quod nemo  
scit, nisi qui accipit. (ii) Nam oran-  
tis non rarò animus ( secundùm il-  
lud DEI promissum : *letificabo eos in  
domo orationis*) (ll) tanto divinæ dul-  
cedinis diluvio inundatur, ut jure ab  
Augustino vocetur aula gaudiorum,  
paradisus voluptatis, mare suavitatum;  
cui anima, Numine ebria, & oblita  
humani portûs, naufraga lubens inna-  
tat. Id se expertos fatentur Antonii,  
Francisci, Ignatii, Xaverii aliique sine  
numero, qui unanimi voce testantur,  
omnes in unum congestas sensuum,  
carnis & appetituum illecebras absin-

E 4 thium

---

(gg) Isa. 58. v. 10. (hh) 1. Cor. 13. v. 1.  
(ii) Apoc. 2. v. 17. (ll) Isa. 56. v. 7.

thium fore, si vel uni guttulæ vasti illius deliciarum oceani conferantur.

Ita est, ô suavissime DEUS! *meliora sunt ubera tua vino,* (mm) quod fallaci poculo propinat dœmon. Lac enim cœlestis solatii dulcitudine sua omne nectar hujus mundi eminenter superat. Ad experientiam provoco. O mortales! *solum gustate, & videte,* quam suavis sit Dominus. (nn) Rei experimentum vos ipsi capite, & certus sum, quia etiam vos cum Jessæo Vate exclamabitis: *quam magna est multitudo dulcedinis tuae Domine, quam abscondisti timentibus te!* (oo) etiam vos cum Tertulliano affirmabitis, *dulciores esse lacrimas pœnitentium gaudis theatrorum;* (pp) & cum Augustino mirabimini, tam suave subito factum esse, carere suavitatibus nugarum. (qq) O nos igitur insensatos! qui relicto fonte vivo cisternas nobis dissipatas fodimus;

---

(mm) *Cant. 1. v. 1.* (nn) *Psal. 33. v. 9.*  
 (oo) *Psal. 30. v. 20.* (pp) *Lib. de pœnit.*  
 (qq) *Lib. 9. Conf. cap. 1.*

dimus; qui æthereum hoc manna nau-  
seantes, Ægypti cepas esurimus.

An non enim (ad humanæ rationis  
tribunal appello) an non *insania* est?  
huic prodromo jucunditatum cœlo  
nuntium mittere ob . . . (vah! pudet  
eloqui:) ob somniculosam, . . . (ô sive-  
ra occulite radios!) ob probrosam &  
inquietam in lecto moram, cuius nos  
vigiles pudet; ob blandimenta gulæ,  
& hominum commercia, quæ non  
nisi gravedinem corpori, & fastidia  
menti creant.

Enimvero vecordes sumus, qui  
getimam cum vitro, pro felle mellis  
favum commutamus. Hujus demen-  
tiæ ô quoties & ego reum me feci!  
*DEUS tu scis insipientiam meam!* (rr)  
Sed tandem meliora. In posterum de-  
vota Diris illa sit actio, sepulta tene-  
bris illa delitescat scientia, amarore in-  
ficiatur illa voluptas, ob quam lumi-  
nibus & deliciis per meditationem ob-  
tinendis à te privari merebor.

E 5      III. Deni-

---

(rr) Psal. 68. v. 6.

III. Denique oratio variis mirisque modis perficit animam. In primis *animas virtutum* sicut male orans est *velut hortus abs copia, & que aqua;* (ss) sic bene orans erit *charisma- sicut hortus irriguus,* (tt) *omnigenis tum excel lentia.* *virtutibus florens:* erit sicut *oliva fructifera,* (uu) & tanquam *lignum,* quod *plantatum est secus decursus aquarum,* (xx) *supernis fructibus dives.* Nulla enim re nos amplius in *santimonia proficere quam meditandi arte,* Chrysostomi opinio est; (yy) cum haec sit ejus generis adjumentum, sine quo perfectio nunquam acquiretur, & quemcum ea certò obtinebitur.

Rationem subdit idem Praeful, dicens: *tales enim cum DEO commercium habent; hinc sancti non esse nequeunt.* (zz) Nam, si is (ut vaticinatur regius Psalmes) qui cum sancto, innocent & electo familiarius versatur, pariter *santus, innocens, & electus erit;* (aaa) quanto magis ille *immaculatus audiet,* qui

---

(ss) Isa. I. v. 30. (tt) Isa. 58. v. 11. (uu) Ps. 51. v. 10. (xx) Ps. I. v. 3. (yy) Chrys. hom. de orat. in illud. Ps. 7. confitebor. (zz) Idem lib. I. de orando DEUM. (aaa) Ps. 17. v. 26.

qui cum ipsa Sanctitudinis infinitate quotidiana consuetudine conjunctus vivit.

Quid ergo mirum, quod ejusmodi mens amulo nisu participet de amore Seraphinorum, & Cherubinorum intelligentia: de constantia thronorum, & Potestatum fortitudine: de obedientia Archangelorum, & Angelorum puritate; seque nil tale suspicantem variis animi dotibus ornatam stupeat? ita ut se respiciens jure glorietur: *vererunt mihi omnia bona pariter cum illa,* (bbb) nempe cum oratione, quæ virtutum abundantia præterea superadditæ excellentissima gratiarum charismata.

Nam per hanc intellectus humanus fit verus sponsus primæ Veritatis; (ccc) illa maritat animam Verbo; estque verè spiritualis sanctique connubii contractus; imò complexus est, unum efficiens è duobus, idem velle, & nolle. Insuper precandi studio addicti, numerantur à S.

Bernar-

---

(bbb) Sap. 7. v. 11. (ccc) Guil. Avernensis  
4. 1. de Euch. Sect. 3. ex Bern. Terull.

Bernardo inter cubiculares cœlestes,  
quibus concessa est aurea clavis ad  
ipsum cor DEI ejusque thesauros,  
ad quos eis omni hora liber accessus  
patet.

S. Joanni Climaco sunt suppares An-  
gelis; quod enim est angelorum opus in  
*cælis*, eorum est occupatio in terris. (ddd)  
Denique S. Bonaventuræ sunt, *velut*  
*acies castrorum ordinata*, æquè terribi-  
les orco, (eee) qui ejusmodi Ath-  
letas aggredi timet, & vix tentare  
audet.

Quid? quod precatio eos quodam-  
modo omnipotentes reddat; cùm,  
quod DEUS imperio, id orans prece  
possit. Nam ipsa petit, & accipit:  
quærit, & invenit: pulsat, & apertas  
reperit cœli portas; ipsa velut alter Ja-  
cob cum DEO per tristem hujus vita-  
noctem luctatur, & amore apprehen-  
sum non antea dimittit, donec *aperiat*  
*marum suam*, & meditantem animam  
*impleat omni benedictione.* (fff)

Ut

---

(ddd) Gradu. 28. (eee) Cant. 6. v. 3.  
(fff) Psal. 144. v. 16.

Ut proin meritò exclamat S. Augustinus: *quid est oratione præclarior, quid vitæ nostræ utilius, quid animo dulcior, quid in tota nostra religione sublimius?* ( ggg ) Et tamen ( *obstupescite cœli super hoc, & portæ ejus desolamini vehementer!* ) ( hhh ) & tamen, quod dolendum, etiam religiosis non rarò nil minus cordi est, quam mente orare: pro nulla re minus temporis habent, quam pro meditatione: non est negotium tam vile, illecebra tam abjecta, gloriola tam futilis, cuius amore hæc exercitatio non omittatur, vel decursetur, vel oscitanter peragatur.

Eximus Suarez maluisset suæ omnis scientiæ jacturam facere, quam omittere unicam ex illis septem horis, quas integras contemplationi quot diebus impendere consueverat. Daniel maluit in lacum conjici leonum, quam consuetam sibi religionem vel semel præterire. Et nos ob somnum, languorem, studium, nugas, verbô: ob  
res,

---

( ggg ) *Traçt. de miseria Tom. ro. ( hhh )*  
Jerem. 2. v. 12.

rēs, quas vulgare puderet, præscri-  
ptam commentationis horam præter-  
mittimus.

O quæ nostra olim confusio erit,  
cūm noster precandi tepor cūm Da-  
nielis fervore in extremo judicii die  
coram universo orbe à Divino Judice  
conferetur, ac sanctiori trutina libra-  
bitur. O Superi! Daniel aulæ mini-  
ster, Regi intimus, ab orando severa  
lege prohibitus, tamen maluit hono-  
res, divitias, vitam in summum di-  
scrimen adducere, quām vel unico  
die assuetam precem intermittere.

Et nos (ingemiscite ò custodes An-  
geli!) & nos ad meditandum tot ti-  
tulis adstricti, omni impedimento li-  
beri, quin imò jussi, nihilominus ...  
Vah! hæret lingua ... Et quidem non  
dignitatum aut opum, non vitæ ser-  
vandæ gratia; sed ob nihil, ex mera  
pigritia, ob leve commodum, vāni-  
tatem, fumum ... idque agimus,  
prò pudor! licet sciamus, quin &  
faceamur, hanc actionem præcipuum  
esse,

esse, immo necessarium beatitatis obtinendae adjumentum. Et hoc est, quod hujus neglectionis malitiam plurimum auget.

O Religiose, quicunque hujus exercitii incuriosus vivis, animæ, quæso, vires intende, ac serio perpende, *quid & quis* negligas. En! quod calor est stomacho & aqua pisci, id meditatio est tibi. Sine hac mens tua cadaver religionis, phantasma pietatis, sentina vitiorum, orci ludibrium erit. Et tamen hanc tu nil curas!

Commentatio est nervus virtutum, est primarium disciplinæ ac Ordinis propugnaculum, quo subruto periclitatur gratia, vocatio, salus. Et nihilominus præfinita huic functioni hora tu stertis, & quidem hæc sciens stertis! *Nihil ex his, quæ per hanc vitam in pretio sunt, orationi præstat;* (iii) hanc enim *qui invenit, invenit thesaurum,* (iii) *cui omnia, quæ desiderantur,*  
non

---

(iii) Gregor. Nissen, de qrat. Dom. (iii)  
Eccl. 6. v. 14.

*non valent comparari. (mmm) Hæc  
credis, & eam tamen crepundiis post-  
habes!*

Et quidem tu posthabes, qui ideo  
sacræ militiæ nomen dedisti, ut septis  
monasterii inclusus, cœlestia expedi-  
tiūs contemplari posses: Tu, inquam,  
cui Ordinis statuta hanc exercitatio-  
nem tot legibus imperant: tu, qui  
eius neglectæ detrimenta, & cultæ  
emolumenta intimè perspecta habes.  
Age, (ipsum te tui judicem volo) fa-  
tore, an non socordia hæc tua, rela-  
tis suprà pœnis dignissima sit; cùm  
& statūs conditio, & rerum cognitio  
omnem tibi excusationem adimat.

Præterea attende, obsecro, quanta  
tibi sit concessa felicitas, quanta gloria  
sit attributa, posse fabulari cum DEO,  
cum Christo miscere colloquia, postulare,  
quod desideras, & obtainere, quod postu-  
las; (nnn) & quidem illud obtainere,  
quod teste S. Bonaventura toti præ-  
valet

---

(mmm) Prov. 3, v. 15.  
de orando Deum.

(nnn) Chrys. l. 1.

valet orbi ; idque posse in ipso S. S. Triados intimo conclavi , quacunque hora, toties & quamdiu tibi libuerit sine metu repulsæ , secundum illud : *petite, & accipietis.* An non ergo iners dementia est , divinum hunc favorem flocci facere ? O vilis argilla ! hanc tibi sortem invident dœmones , gratulantur Beati , tibi concessam mirantur Angeli ; solùm tu eam nil pensi habes !

Edic : si à Rege terreno ad familiare colloquium evocareris , an ire tardares ? En ! invitat te Rex regum & Dominus dominantium ; & accedere renuis ! per campanæ sonum cœlestis Sponsus animæ tuæ in clamat : *surge, pro-  
pera amica mea, columba mea, & veni;*  
(ooo) & surdum te fingis ! suos tibi thesauros is patulos offert , gratiarum aurariam manu prodiga pandit , modò ores ; & tamen nec istud à tuo tempore extorquere valet. O Seraphini facies vestras obductis alis velate , ne execrandam hanc incuriam , ac tam

Pars II.

F

enor-

(ooo) Cant. 2, v. 10.

enormem summæ rei contemtionem  
intueri cogamini!

At oppones tritum illud : tempus  
non habeo. Vah ! effugium inane !  
nempe ut garrias , ambules , ludas ,  
nugeris , dormias , & te recrees , tem-  
pus abunde suppetit ; ut verò de æter-  
nitate , anima , DEO cogites , nec ho-  
rula vacat . O vecors ! ut bis quotidie  
putridum ventrem plures etiam horas  
sagines , tempus abundat ; ut animam  
immortalem brevi spatio sacra com-  
mentatione reficias , tempus te deficit .  
Sed cave , ne olim & gratia te deficiat .

O Divine Salvator ! qui etiam Apo-  
stolis precandi studium tanto verbo-  
rum pondere commendasti , eodem  
zelo , quo olim è templo Solymæo  
*ementes , & vendentes* ( ppp ) ejecisti ,  
ex nostro pariter corde expellas , quid-  
quid ibi tam necessarium & utile exer-  
citium turbat . Fuga somniculosum  
languorem , everte nugaces evagatio-  
num *mensas* , confringe mendaces cu-  
pidita-

piditatum *cathedras*; fac, ut nostra meditatio deinceps talis sit, quæ ab illis *viginti quatuor Senioribus in phialis aureis* (qqq) offerri Divinæ tuæ Majestati mereatur; da, ut orationis fervore succensi, neglectæ damna vietemus, & cultæ lucra sentiamus.

### §. III.

#### *De impedimentis & adjumentis bonæ ac fructuosa orationis.*

Cum orandi hoc genus, de quo nobis sermo est, omnium Patrum judicio sit efficacissimum præsentissimumque subsidium perfectionis semitam giganteis passibus decurrenti; mirum sanè est, plurimos nihilominus reperiri, qui, licet pia quotidie commententur, tamen adeò parum corriganter. Et, licet virtutis regionem incolant, tamen iisdem semper vitiis scateant. Verum ratio in promptu est: nempe non bene meditantur, & ideo nec emendantur. Huic igitur

F 2 malo

---

(qqq) Apoc. s. v. 8.

malo ut occurram, i. inquiremus in  
impedimenta bonæ orationis: 2. pro-  
feremus adjumenta fructuosæ oratio-  
nis; ita tamen, ut non nisi præcipua  
simus delibaturi; cùm plenam hac de-  
re institutionem hujus tractatûs angu-  
stiae excludant.

I.  
Impedi-  
menta bo-  
nae oratio-  
nis. I. Primum igitur impedimentum  
bonæ orationis est neglectus debitæ  
præparationis. Hunc in nævum in-  
currimus tunc, quando sine requisita  
animi comparatione prævioque pun-  
ctorum apparatu ad meditandum ac-  
cedimus. Quando neque materiam  
practicam pro nobis sat exquisitam,  
neque suas in partes rite divisam, ad  
dicatum precibus locum afferimus.  
Cùm quasi fortuitò & tumultuario  
impetu in precandi exercitium irrui-  
mus sine delecta veritate, quam ex-  
pendamus: sine præfixo scopo, cui  
intendamus: sine proposito fructu,  
quem inde colligamus.

*Ante orationem præpara animam tuam:  
& noli esse quasi homo, qui tentat DEum;*  
(a)

(a) id per Syraciden nos monet Numen. Et Divino huic monito viliis vermiculus adversari præsumat? Magnati aut Præposito locuturi, priùs rem, dein & verba taciti expendimus. Et supremam Majestatem *sedentis super Cherubim* (b) affaturi, subitò ac imparati cœlestem in aulam involemus?

Sinenses antequam ad imperatoris sui alloquium admittuntur, integro priùs anno in servandis ritibus exercentur. Et nos cum regum Rege & Domino dominantium de summi momenti negotio acturi, à lecto etiamnum fumantes, oscitante oris hiatu, nil præparati, rusticè irrumpamus? Quid hoc est aliud quām quidam despectus æternæ illius Mentis, coram qua ipsæ etiam Potestates cum Thronis trementes procumbunt, & in quam nec ipsi Seraphini, reverentia absterriti, flammantes obtutus intendere audent.

F 3

Porro.

(a) Eccli. 18, v. 23.

(b) I, Reg. 4, v. 4.

Porro præparatio orationi præmit-  
tenda tria complectitur puncta. 1. ut  
nocte præcedenti materia meditationis  
prælegatur. 2. ut ante somnum brevi  
temporis spatio de eadem cogitetur.  
3. ut diluculo experrecti statim ad rem  
meditandam animum reflectamus.

Argumentum commentationis pri-  
die percurrendum quod attinet, ut id  
utiliter fiat, quatuor erunt prævia ac-  
curatione determinanda, 1. veritas  
perpendenda, 2. fructus eruendus,  
3. affectus eliciendus, 4. tessera re-  
petenda, seu sapientius dein per diem in  
memoriam revocanda; nempe noctu,  
antequam decumbas: mane, dum è  
strato surgis: & etiam interdiu ante  
& post prandium, quando Numen  
Eucharisticum de more visitas.

Scrutare modò conscientiam tuam,  
ac vide, an & quām accuratè data  
haec tenus documenta observaveris, vel  
salem in posterum observare statuas?  
Nam (ut ait Bernardus) qualem te pa-  
raveris DEO, talis tibi apparebit DEUS;  
(c) &

(c) & : secundum ligna sylvæ, sic exar-  
descet ignis. (d)

Alter defectus in hac exercitatione  
committi solitus est nimia, quam in-  
tellectus exercitio tribuimus, mora.  
Sunt enim, qui, licet bene parati ad  
orandum accedant, tamen dein toti  
in formandis discursibus hærent, ac  
in proposita veritate expendenda im-  
modici sunt; ita ut vix aliquid horæ  
superfit pro eliciendis virtutum acti-  
bus, quibus conceptum animi decre-  
tum firmius solidetur.

Error hic quàm frequens tam no-  
xius est; cùm præcipuam hujus fun-  
ctionis vim enervet, primario ejus  
fini aduersetur, ac innumeris gratiæ &  
gloriæ gradibus, per supernos affectus  
obtinendis, viam præcludat. Itaque  
ne meditatio in studium degeneret,  
semper plus temporis affectibus quàm  
conceptibus, officio voluntatis quàm  
intellectionis tribuendum erit.

F 4

Et

---

(c) Serm. 69. in Cant. (d) Eccli. 28. v. 12.

Et hinc vitandæ erunt illæ solicitudes, queis subin angimur, ne fors nimis citò ab uno capite ad alterum transeamus. Item reprimenda erit illa nimium avara cupiditas, omnes propositas in libro veritates perlegendi, ruminandi, easque ingenii acie exenterandi. Si aliquo in puncto præfixus inveniatur fructus: vel si Spiritus Sancti motio vehementius sentiatur, mox ibi quiescendum, & interrupto ratiocinii filo, cordis vela Divino Flaminī erunt pandenda. Reliqua postliminio perlegi poterunt.

Imò si quis ob nimiam intelligentiæ fœcunditatem primo statim intuitu assumptæ materiæ sensum intimè perspiceret, hoc casu mox, omissa ulteriori ratiocinatione, ad operationem voluntatis pergendum erit, illique affectui, quo quis amplius commoveri se sentit, liberiùs vacandum. Quodsi postea hanc animæ facultatem cum suis actibus in vado hærere contigerit, denuo ad exercitationem rationis redeundum erit. Disquire jam, quam

quām solers in his observandis, quāmque sedulus sis? Nam (ut ait Eusebius Emissenus) quantum tu apposueris ad diligentium, tantum DEUS addet ad gratiam. (e)

Tertium pii hujus exercitii impedimentum in eo consistit, quod ejus puncta, affectus & proposita minimè aptentur, nec dirigantur ad propriam animæ necessitatem, eamque præsentem, magisque urgenrem. Sunt enim non raro meditantes, qui sui immemores toti sunt in aliis perficiendis; qui non nisi vastis indulgent desideriis pro Christo inter barbaros moriendi, infideles salutis fonte abluendi, peccatores ad frugem reducendi. & interea rebelles animi motiones quietas suo in sinu dormire permittunt. O anima! illi, qua tu præcipue laboras, necessitatibus adhibenda sunt pharmaca.

Dein sunt, qui precationis hora, architecto dœmone, castella aerea moluntur, ac nescio, quæ facinora fu-

F 5

turis

---

(e) Hom. 3. ad Religios.

turis temporibus patranda designant. & interim *præsentem*, quo periculose decumbunt, morbum imprudentes negligunt. O improvidi! *præsentis* succurrendum est malo: futuris futura medebuntur lustra.

Sunt denique, qui extrinsecus suam *domum spiritualem* (sic mentis penetrale S. Petrus appellat) inductis coloribus pingunt. (f) & interea serpentem per tigna flammatam impunè bacchari finunt. O stolidi! *magis urgenti* occurrendum est hestis illi, quod debilius languet, providendum est membro. Verbō: propriæ necessitati & quidem *præsenti*, ac *magis urgenti*, meditationis panacea est applicanda.

Proin examina, an tua precandi methodus sit practicā? id est, an incumbat sanandæ illi, qua jam nunc maximè premeris, infirmitati vel numeriū steriles conceptus foveas, non nisi sera ætate pariendos? aut malagma minùs ægrotæ parti imponas? Si te

---

(f) 1. Petr. 2. v. 5.

te reum hic deprehenderis, sine mora  
defectus emenda.

Quartum denique, quod hujus  
actionis successum impedit, obstacu-  
lum in eo versatur, quod vel nostra  
oratio careat proposito, vel proposi-  
tum debitum destituatur conditionibus.  
Et hoc est illud impedimentum, quo  
perniciosius nullum ab orco nobis in-  
jicitur; cum haec omissio ipsa com-  
mentationis fundamenta convellat.  
Nam meditatio viduata proposito, est  
corpus sine anima, arbor sine fructu,  
concha sine unione, annulus sine gem-  
ma. Propositum verò, requisitis do-  
tibus orbatum, est flamma volatilis  
stupax, lux sine calore, ignis fatuus,  
oculis aliquantum illudens, & mox  
iterum disparens. Unde patet, quan-  
topere curandum sit, ne meditationi  
unquam propositum, aut huic debitæ  
qualitates desint. Haec autem sunt se-  
quentes.

In primis concipiendum animi de-  
cretum non multiplex, generale & va-  
gum;

gum; sed unum illud & singulare sit opor-  
tet. Id est, non multa simul diversa  
ac disparata erunt proponenda; sed  
una vel altera duntaxat particulatim  
res determinanda erit, deinceps vel fa-  
cienda, vel vitanda: designando ad-  
juncta loci, temporis, & modi: ubi,  
quando & quomodo: nec non seli-  
genda remedia, quorum auxilio illa  
executioni mandanda sit,

2. Debet illud eo ipso adhuc die  
vel saltem proximè in praxin deduci  
posse. Præcipuus enim orationis fru-  
ctus in eo consistit, ut præsenti po-  
tissimum, qua fruimur, luce secun-  
dùm Apostoli monitum pè cum DEO,  
justè cum proximo, sobriè nobiscum  
*vivamus in hoc sæculo.* (g) Nam pro-  
posita pro remotioribus solùm & se-  
ris temporibus facta, machinæ curu-  
lis bellicæ fragorem imitantur, ferrea  
glande cassum, à quo sibi dæmon  
non timet.

3. Denique (quod quidem suprà  
jam insinuatum, nec tamen unquam  
satis

---

(g) Tit, 2, v. 12.

satis inculcari potest ) collineare illud oportet ad pellendam ægrotationem illam, qua præcipuè vexamur, nempe vel ad emendandum illud vitium, quo magis infestamur ; vel ad acquirendam virtutem illam, qua amplius indigemus.

Cùm verò teste Thoma à Kempis *juxta propositum nostrum sit cursus profectus nostri*, (h) ac morum correctione ab ejusdem efficacia ut plurimum dependeat; hinc ad tribuendam ei optatam firmitatem, sequentes industriae haud parum conferent. 1. Concipiatur illud quasi in conspectu totius Curiæ cœlestis coram solio Divinæ Majestatis, audientibus & applaudentibus Angelis, minutim nominando actionem ponendam, vel omittendam; eamque super illud altare aureum, quod est ante thronum DEI, (i) Sacrosanctæ Trinitati offerendo.

2. Vocentur in testes formati à nobis decreti Cœlites illius diei, Patronique

---

(h) De Imit. l. 1. c. 19. n. 2. (Apoc. 8. v. 3.)

nique nostri , eos rogando , dignen-  
tur pro nobis vadimonium obire , fu-  
turi olim totidem accusatores , si pacta  
infregerimus , quot nunc sponsores .

3. Oppignorentur DEO sanitas ,  
honor , vita , corporis sensus , & ani-  
mæ facultates , sponte consentiendo ,  
& quasi ultro cum eodem paciscendo ,  
ut immisso aliquo vel membrorum  
dolore vel famæ dispendio , aut alia  
quapiam illata calamitate , relabentes  
è vestigio ultrici severitate castiget .

4. Pium hoc animi constitutum  
pretiosissimo Christi sanguine veluti  
sigillo obsignetur , illudque sacerrimi  
lateris vulneri sacrosanctum inferatur ,  
ibidem velut in tabulario asservandum ,  
ac olim in die judicii contra nos , si  
fidem fefellerimus , ab Angelo Custo-  
de producendum .

5. Denique determinetur certum  
quoddam piaculi & mulctæ genus ,  
illo ipso adhuc die voluntario rigore  
nobis imponendum , siquidem à pro-  
missis fœdifragi discesserimus .

Ejus-

Eiusmodi propositis si nostra con-  
stanter excelleret oratio, ô quām mag-  
nos brevi tempore in perfectionis se-  
mita progressus faceremus! Igitur se-  
dulò disquire, quomodo circa ista te  
habeas, & quā methodo deinceps hæc  
in consuetudinem deducere velis. At-  
tende, ne etiam tu, *quod nunc cavere  
proponis, post horam agas, quasi nihil  
proposuisses.* (1)

Et profectò recensita hæc tenus ob-  
stacula seu quatuor defectus jure di-  
cuntur esse illa per Jeremiam descripta  
*nubes, quam nos ipsi nobis opponimus,*  
*ne transeat oratio nostra, (m) cœlos-*  
que penetreret. Hæc enim instar con-  
creti spissique vaporis cœlestem nobis  
lucem eripiunt, Divini Solis calores  
hebetant, & virtutum plantis omne  
adimunt incrementum. Unde paret,  
quantum ad rem nostram referat, ut  
pro virili intermedias has nebulas æmu-  
lo fervore dissipemus.

## II. Igi-

---

(1) De imitat. Christ. l. 1. c. 22. n. 6. (m)  
Thren. 3. v. 44.

II. Igitur sublatis è medio impedi-  
Adjumen- mentis bonæ, sugerenda quoque sunt  
ta fructu- adjumenta fructuose orationis. Pri-  
osæ ora- mum est sedulus ac prudens usus præ-  
tionis. ludiorum, ut vocant. Cùm enim  
phantasia, fræni impatiens, volucri  
levitate per omnes quatuor mundi  
plagas circumvolare amet, nisi injectis  
sanctoribus vinculis constricta tenea-  
tur; hinc idearum beneficio certæ cui-  
dam rei alliganda erit, ne volatilis  
tam facile evagetur; aut si fors levis  
à scopo aberret, ut citius ad orbitam  
reducatur. Plurimum insuper hæc in-  
dustria conducit, ut animus aptior  
reddatur ad omnes argumenti partes  
expeditius ponderandas, & majori  
cum motu penetrandas.

Hæc autem præambula plerumque  
tria esse consueverunt. Primum est  
brevissima rei contemplandæ recorda-  
tio, consistens in eo, ut in medium  
proferatur parabolæ sententia vel my-  
sterii, de quo agitur, historia. Se-  
cundum est imaginaria constructio il-  
lius loci, ubi res consideranda fuerat  
gesta.

gesta. Tertium est petitio fructus  
inde eruendi.

Porro hæc præludiorum compositio  
debet esse 1. *brevis*; secus nil differet  
à meditatione. Eidem bina horæ  
minuta impendisse abunde sufficiet.  
2. *clara*; perinde ac si oculis coram  
aut quasi in tabula vivis coloribus cum  
omnibus adjunctis depictum cernere-  
tur totum rei contemplandæ myste-  
rium. Quo enim vivacior talis re-  
præsentatio fuerit, eò minus mens no-  
stra distrahetur, & extra se ipsam eva-  
gans exulabit.

Qua tamen in re cavendum est iis,  
quibus tenuior est imaginandi virtus,  
ne vim inferendo capiti illud per di-  
Etiam loci fabricationem obtundant,  
seque ad bene meditandum ineptos  
reddant. Quip imò si cui iste prælu-  
diorum apparatus non arrideat, aut  
difficilior accidat, is eisdem penitus  
omissis, actum fidei de DEO sibi præ-  
fente, & cuncta arbitrante eliciat,  
opemque petat ex assumpta orationis  
materia proficiendi.

Alterum attenta mente orandi subsidium est prompta habilitas intellectum suo in officio rite exercendi ; id est, dogma propositum bene perpendendi, illud hodierno animæ statui applicandi, & conclusiones practicas inde deducendi. Hujus enim artis ignorantia plurimis hanc exercitationem molestam, inutilem & odiosam reddit, eandemque eis suis esse viribus superiorē singit. Sed immerito.

Quid enim ? tantæne igitur molis sit, veritatem æternam, pridiana præparatiqne jam definitam, seriò apprehendere, secumque expendere ? Adeōne ergo difficile sit, reflexum dein obtutum in cordis intima defigere, dispiciendo, an fidei etiam mores respondeant ? Id est, num vivas, prout vivendum credis ?

Denique an Herculeo igitur robe re opus habeas, ut determines, quid agendum tibi in posterum sit, designando rem aliquam peculiarem, dein ceps singillatim, certo tempore & lo-

eo effectui dandam? hæc, inquam, adeò ardua ergo, & impervia tibi sint? tibi, ajo, qui idem in aliis terrestribus negotiis identidem agitas?

Quis sibi persuadeat, solummodo tibi haud possibile fore, quod tamen quilibet rusticus præstat, qui ex hac propositione rite considerata: *nisi ruris opus fecero, alimentis carebo*, providè concludit: igitur agrorum culturæ insudandum est; moxque ad singularia descendendo, hoc nominatim tempore sulcandum, alio serendum, & occandum esse decernit. Quam ergo colonus argumentationem circa fruges, cur tu circa virtutes formare nequeas?

Nihilominus ut omnes effugio vias præcludam, quosdam modos suppeditabo filum discursūs protelandi. In primis ergo juverit per sequentes quæstiunculas ingenii aciem acuere, & rerum species excitare, videlicet 1. *quid* perfectum modò punctum proponit credendum, vel sciendum? 2. *Quid* eru-

ta inde veritas dictat faciendum? 3. An illud hactenus feci? 4. Quid inposterrum faciam? 5. Quomodo, ubi, quando, quibus mediis id faciam? Item si perpendantur causæ, finis, effectus & adjuncta mysterii vel doctrinæ assumptæ, vastus ad discurrendum sese apriret campus.

Denique exsequendi, quod concepimus, decreti necessitas, utilitas, æquitas, dignitas, jucunditas, & facilitas: nec non damna secus emersura, & lucra inde obtainenda, uberem ratiocinandi materiam suggerunt. Quam ea pariter, quæ mox subjungam, capita abundanter suppeditant, siquidem rectè expendantur.

Nempe quid amico hac super re consilium expetenti suaderem? quid ipsus ego sub mortem, in judicio ac æternitatis aditu elegisse optabo? quid augmentum præsentis meriti, magnitudo futuri præmii, tot collata à DEO beneficia circa ista nunc agendum dicant? .... Hæ, aliæque similes industriae

dustriæ, quas magister usus sine ferula docebit, ad excitandum, continuandumque intellecationis exercitium plurimùm conducent.

Et certè nisi pinguis omnino Minervæ sis homo, tot tamque variæ methodi, vel unà simul, vel mutatis vicibus adhibitæ, hanc exercitationem non possunt non facilem tibi expeditamque reddere, omneque illius fastidium procul averruncare.

Cæterum hæc intellectus operatio tribus potissimum dotibus excellat, necesse est. 1. Sit *moderata*, id est, non sit nimis intensa, ut caput lœdat: nec tamen etiam nimis remissa, ut tempore langueat; sed sit sedata, non tamen sine vigore: tranquilla, non tamen sine vivacitate.

2. Sit *simplex*, hoc est, non assumantur nimis multæ simul veritates considerandæ; sed una solùm vel altera, abjecta omni anxia de reliquis solicitudine; præstat enim unicus pon-

derosior unio præ pluribus aliorum minutioribus fragmentis. Hæ autem ipsæ non sint subtiles, curiosæ, inanes; sed practicæ, utiles, solidæ, rectæ tendentes ad persuadendum nobis propositum, in pridiana præparatione jam delineatum.

3. Denique non sit nimis *prolixæ*. Hic enim ordinarius est scopulus, ad quem allisus orationis fructus perire consuevit. Cùm potior meditantium pars utpote formandis conceptibus asfueti, novitate eorum aut suavitate abrepti, iisdem justo amplius immorentur. Non quidem decet hoc exercitium esse nimis præcipitatum, delectum dogma obiter tantum percurrendo, & perfunctorio ab uno ad alterum saltu illud solummodo cursim delibando; nec tamen etiam nimis lentum esse convenit ac morosum, avara quadam, & anxia cupiditate minutissima quæque rerum adjuncta exartuando, omnesque puncti fibrillas, ne quid succi fors pereat, eviscerando. Proin tale in dividendo tempore moderamen  
adhi-

adhibendum erit, ut major horæ pars semper eliciendis affectibus impenda-  
tur. Cùm autem hoc ipsum sit, quod meditandi praxin adeò difficultem effi-  
cit, huic malo medebitur

Tertium fructuosè orandi adjumen-  
tum, consistens in parata methodo,  
varios virtutum actus eliciendi. Quem  
in finem summopere consultum erit,  
ut nobis ad manus illorum auctorum  
(n) unus vel alter sit, qui ejusmodi  
affectus typis mandarunt. Cùm enim  
inventis facile sit addere, eorum opu-  
scula filum nobis Ariadnæum erunt,  
quo duce ex hoc difficultatum laby-  
rintho feliciter emergemus.

Quodsi verò his careas, in destina-  
tum ad id libellum tu ipse selecta vir-  
tutum paradigmata vel ex auctoribus  
excerpta, vel à temet proprio marte  
composita refer, orationis tempore  
usui futura. Ut autem constet, qua-

G 4                   les

---

(n) Card. Bona via ad cœlum. Blasius Palma  
Thesaurus affectuum. Avancinus. Grafflet. Hor-  
stius Merlo. Item in meo Christiano piè moriente  
adjumento ultimo plures ejusmodi actus invenies.

les potissimum actus, quove ordine elici debeant, postea num. 3. brevem eorum analysin subjungam, & aliquos subin fontes detegam, eos uberioriis deducendi.

Porro ut anima majori cum fructu in tertia hac mentis operatione sese exerceat, sequentia erunt observanda.

1. Omnes affectus ad firmandum, quod concepimus, propositum tanquam ad præfixam sibi metam, recto cursu collinare oportet.

2. Si voluntas in eorum exercitio intepescat, tunc ea per reassumptum intellectus officium iisdem, queis initio, vel novis etiam incitamentis ad repetitum, quo idem decernat, imperium impelli debebit.

3. Unde sequitur deponendum esse illum timorem, quo angi solemus, ne ejusmodi affectus nimis citò & ante elapsam contemplationis horam absolvantur; id enim si etiam fieret, de novo ii (ut ante memini) forent iterandi.

**Ex**

Ex altera verò parte cavenda etiam est illa nimis anxia solicitude , qua subin timemus, ne fors uni affectioni diutius inhærendo nullum reliquis superfit tempus. Præstantior enim est, ac utilior unicus ejusmodi intensior cordis motus , quām mille remissi. Proin dandus erit locus motioni Spiritū Sancti , ubi illam ampliorem illabi senserimus.

Ultimum denique adjumentum est breve aliquod examen finitæ orationi mox subjungendum , quo admissos in ea nævos discutiamus , & hauustum ex ea fructum expendamus. Tanti momenti hæc reflexio est, ut asceſeos Magistri , siquidem pro ea instituenda aliud suppeteret nullum, malint aliquid temporis ex ipsa contemplationis hora decerpī, quām ut ea penitus intermittatur.

Licet enim hoc orandi genus sit lucidus Sol, qui intellectum mediantis divino lumine illustrat, ejusque voluntatem amoris igne inflammat ; ta-

men etiam hoc sidus suos patitur manus, suisque nigrescit maculis. Quæ nisi instituto examine obseruentur, ac emendatæ dissipentur, semper magis auctæ, tandem hoc astrum tristibus umbris inquinabunt. Propterea commissi in oratione defectus sollicitè erunt investigandi; propositum verò ab iis cavendi sub initium proximæ meditationis magno cum fervore renovandum erit.

III.  
Analysis  
Affection-  
em in me-  
ditatione  
eliciendo-  
rum.

III. Cæterum (ut ex dictis constat) cùm officium voluntatis sit, cognitam ab intellectu veritatem amplecti, per convenientes cordis motiones in eandem rapi, ac generoso animo ejus executionem decernere; id autem satis efficaciter fieri nequeat, nisi prompta nobis methodus ad manus sit, quæ nobis ejusmodi actuum exercitationem faciliter, ideo brevem hic analysin instar appendicis subjungam, quæ nos ordinem doceat & artem, laudatos affectus expeditè eliciendi. Sunt autem sequentes.

Inpri-

In primis postquam per exercitium intellectus, quid vitandum nobis, quidve faciendum sit, clarè agnoscimus, & propositam veritatem fide vivâ apprehendimus, natura rerum exigit, ut ante omnia ob illam rem commissam, vel omissam coram Divina Majestate profundè nos demittamus, ac etiam impensè doleamus.

Prima igitur, cui indulgendum, affectio est mentis *demissio*, atque *dolor*, quo nostram ignaviam erubescentes, nos coram Cœlitibus infra omnes abjeciamus, ac pœnitenti animo culpa veniam rogemus.

Has pœnitentiæ testes lacrymas mox sequitur propositum, illud, de quo agitur, punctum deinceps observandi, vel cavendi. Quod propositum si relatis suprà num. i. dotibus ornatum, suggestisque dein industriis roboratum fuerit, firmandæ in bono voluntati ingens momentum afferet. Juveric etiam coram DEO per modum affectus repetere, & quasi enarrare præcipua

pua incitamenta, quæ nos ad hoc proponendum efficacius permoverunt.

Secundò. Obsfirmato hac ratione recentis concepto mentis decreto, elicatur dissidentia de se ipso, ac metus inconstantiae in bene cœptis, palam confitendo propriam debilitatem, impotentiam & mutabilitatem, qua nobis relicti certò certius facta promissa simus violaturi, nisi divina succurrente gratia potenter sustentemur.

Hæc igitur solicitanda erit per supernam *spem* de adfuturo nobis hunc in finem auxilio; simulque postulanda per actum *petitionis* sequentem in modum: 1. à Patre æterno per Christum. 2. à Filio Divino per ejus misericordiam. 3. à Spiritu Sancto per ejus amorem. 4. à Servatore per ejus sanguinem, plagas, mortem. 5. à Beatisima Virgine, Sanctisque Patronis; præsertim quorum memoria illo die recurrit, eos per illorum merita obtestando, ut coram Divina Majestate prostrati, junctâ operâ necessariam nobis

bis opem exorent, piè proposita in-violatè servandi.

Proderit etiam DEO, Christo, ac Beatis mendicabulorum more nostram miseriam, pauperiem, ac fragilitatem exaggerare, peccatorum vulnera veluti totidem animæ ulcera ostendere, summamque indigentiam gementi facundia extollere; non ut illorum mens ad commiserationem commoveatur (id enim beata eorum conditio vetat) sed ut voluntati nostræ major efficacitas addatur.

Tertiò. Hac obtinendi cœlestis auxiliū fiducia erecti, in ardentissimum DEI amorem erumpamus, 1. supremum Numen præferendo, ac æstimando supra illam delectationem aut difficultatem, quam in explenda, vel omittenda re decreta experimur. 2. gaudendo de immensa ejus gloria tum intrinseca, ut vocant, nempe quod sit, qui est: tum extrinseca, quod tot Beati in cœlo, tot justi in terra infinitam ejus bonitatem tanto conatu laudent, reveran-

vereantur, ac honorent: tum etiam de illa, quæ ex hoc nostro opere bono in eum redundabit. 3. dolendo, quod immensam ejus pulchritudinem tam serò & tam parum amaverimus, quin & per neglectionem præsentis puncti toties offenderimus. 4. statuendo, & palam contestando, nostrum nos erga eum amorem testari velle saltem per observationem facti modo propositi. 5. denique omnes Beatos ad diligendam Divinitatem invitando, ac Seraphinorum flammatentes æstus ad supplendum frigus nostrum eidem offerendo.

Quartò. Hunc charitatis actum velut filia matrem comitatur intima animæ conjunctio cum cœlesti Sponso per quinque sensus & tres animæ facultates, sese in illum ( ut vulgariter loquar ) quasi transformando. Id quod triplici via perficiendum erit, 1. expellendo è memoria vanas mundi ideas per assiduam rerum æternarum recordinationem & continuam ad DEI præsentiam attentionem. 2. expurgando intel-

intellectum à falsis opinionibus & voluntatem à pravis appetitionibus, cùrando, ut is nil aestimet, nec vilipendat; hæc verò nil amet, nec averseretur, nisi quod Cœlites amant, ac vilipendunt: aestimant, ac aversantur.  
3. avellendo sensus nostros ab omni minùs ordinata affectione ita, ut in rerum creatarum pulchritudine, blandimentis, suavitate non videant, gustent, audiant, odorent, nec aliud quidquam palpent nisi *Dilectum ex millibus electum*; (o) idque tanto cum ardore, ut cum veritate dicere cum Paulo possimus: *vivo ego, jam non ego; vivit verò, cogitat, sapit, amat, sentit, gustat, videt, loquitur in me Christus.* (p)

Quintò. Hanc intimam cum cœlesti Sponso conjunctionem quasi ex re nata consequitur familiaris quædam, reverens tamen cum eodem sermocinatio ac socialis consuetudo, agendo cum illo nunc tanquam cum patre, amico, aut fratre: modò quasi cum medi-

(o) Cant. 5, v. 10,

(p) Gal. 2, v. 20.

medico , judice , aut magistro : cum  
eo de animæ negotiis tractando : ten-  
tationes & miserias eidem pandendo:  
in dubiis eum consulendo : auxilium  
ab illo & solamen postulando. Ubi  
ramen solicite caveendum erit , ne nos  
semper loquamur ; sed ut etiam illum  
nobis loquentem , & minantem : nos-  
que increpantem , & monentem at-  
tentè audiamus.

Quin imò ut nobis suam volunta-  
tem manifestare dignetur , ultro ro-  
gandus erit , exclamando cum Samue-  
le : *loquere Domine , quia audit servus  
tuus.* (q) O DEUS cordis mei ! quid  
est , quod tibi in me potissimum di-  
splicet ? quis nævus , quæ motio , quod  
vitium ? 2. Quid primariò à me vitari ,  
quid fieri cupis ? 3. Quam rem crea-  
tam aut affectionem tibi à me sacrifi-  
cari petis ? Dein brevi aliquo tempo-  
re , suspenso trium animæ facultatum  
*exercitio* , summa cum demissione si-  
lentio & quiete ad divinum intus re-  
sponsum attende. Confide grandia  
non

non raro verba æternum tibi Verbum ad cor loquetur.

Hic pariter locus est pertractandi negotia quædam peculiaria tum nostra, tum aliena, circa quæ, quid statuendum sit, dubii hæremus; Numinis tamen voluntatem, quid agere nos velit, cognoscere optamus. Quibus subjungi poterunt, si tempus supersit, patientiæ, conformatioñis, obedientiæ, gratiarum actionis, aliique adhuc ad scopum orationis collimantes actus, queis voluntas nostra in concepto proposito amplius obfirmetur.

Hac affectuum analysi, hisque industriis eorundem filum protelandi si rite usi fuerimus; sique insuper etiam reliqua superiùs recensita orationis adjumenta in consuetudinem deduxerimus, genuinam meditandi artem facile assequemur, quæ inter omnia perfectionis adipiscendæ remedia ob suam tum necessitatem, tum utilitatem facile principatum obtinent.

Hæc enim ( ut ait S. Dionysius ) est illa mensa , quam in ædificata sibi domo Proverbiorum capite 9. divina Sapientia proposuit , apponens in ea panem & vi- num, nempe panem vite & intellectus : panem solidarum & æternarum veritatum : panem spiritualis intelligentie ; & vinum sanctorum affectuum ac desideriorum : vi- num latitiae , & gaudii in Spiritu San- cto. (r)

. Proin morem geramus æthereæ vo- ci , ad hanc mensam nos invitanti il- lis regum Sapientissimi verbis : venite, comedite panem meum , & bibite vinum , quod miscui vobis : relinquite infantiam , & ambulate per vias prudentiae , (s) quas meditando docebimini , si bona orationis impedimenta amovere ; fructuo- sa verò adjumenta diligenter adhibere studueritis.

---

(r) In Epist. ad Tit. (s) Prov. 9. v. 5. & 6.



### CAP. III.